



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniae, 1655

§. 90. Nouißeime autem venerunt duo falsi testes. v. 60.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45515

maiores Christo inurendam ignominiam, si nimirum diceretur eum convictum testimoniis & seruatō juris ordine, tanquam noxium esse occisum: 4. ut constaret eum non propter sua delicta, sed propter aliena, nostra scilicet passum, crucifixum, & morti addictum fuisse.

A Mantissime Domine, finis Malorum est semper nocere vel sibi vel proximo, Bonorum vero bene facere, da quæso gratiam mihi, ut cum bonis omnibus bene facere studeam, neminem autem lædere, longius autem à me sit velle auferre vitam, vel fortunas, vel honorem proximi: imo confundar ego potius & patiar, quam proximus per me confundatur aut patiatur.

s. 89. *Et non inuenerunt, cum multi falsi testes accessissent. v. 60.*

O prouidentia Dei! quæ nunquam finis iustitiam prorsus opprimi vel interire, etiam cum iudices optant falsa testimonia & cum multi falsi testes accessissent & de varijs accusassent innocentem Iesum, nullum attamen probabile testimonium inueniri potuit omnium illorum ingenio, quo Christum apte accusare possent. Mira profecto res: sed hoc ita fieri debuit, ut appareret Christi innocentiam tantam esse, ut nec falso quidem testimonio lædi posset, & ne Christus videretur cuiquam iure occisus, quod facile credidissent simplices. Felix & ter felix qui tale habet testimonium coram Deo & hominibus!

A Nne ò Deus meus simile de me testimonium dari potest? Minimè certe Domine, Ego enim infelix & maximus peccator & iniquissimus, mortem millies & millies meritus sum & infernum ipsum & nisi tu singulari tua gratia seruasses me paulo minus habitasset in inferno anima mea; sed tu me conseruasti, pretiosa fuit anima mea in tuo benignissimo conspectu. Tu me ergo in æternum serua, qui totam me tibi uni committo.

s. 90. *Novissime autem venerunt duo falsi testes. v. 60.*

Licet multos quæsierint Principes & habuerint testes qui contra Iesum falsum testimonium proferrent, nullorum tamen erat conueniens testimonium ad mentem principum Iudæorum & Sacerdotum quo possent destruere Iesum, quod meritò omnem Christianum intimè recreare deberet, quia sic omnia irreprehensibiliter dixit & fecit, ut nullam verisimilitudinē inuenerint in eo reprehensionis, et si mali & multum astuti forent, nouissimè tamen inuenerūt duos, qui sua dicta quouis modo ad applausū principū Iudæorū formare nossent, & bene falsi testes ab Euangelista nomi-

nominantur, quia sine fundamento, sine ratione fabulabantur. Sed nec color in testimonijs inueniebatur qui posset contra Iesum adiuuare mendacia ipsorum, vel principum æmulationem.

O Principes! ò Sacerdotes Iudæorum! quid quæritis? falsos testes? Quid pretio emitis mendacium? & nescitis legem vestram, Deut. 5. *Non loqueris contra proximum falsum testimonium.* & Proverb. 19. *testis falsus non erit impunitus.* An non eandem pœnam meretur & factor & consultor? Timete Dominum ne super vos veniat punitio & ira Dei vindex legis suæ: Horum exemplo, Domine Deus, quies ipsa veritas, doce me & da gratiam vt ex intentione, aut mala voluntate nunquam proferam mendacium, sic nec falsum contra proximum proferre potero testimonium, ne merito & ego dici merear falsus homo, & puniri debeam juxta præceptum tuum.

5. 91. *Et dixerunt: hic dixit: possum destruere templum Dei & post triduum readificare illud. v. 61.*

Fuisset certe materia iudicij, si verba Christi sensum haberent comminatorium, destruam templum Dei. Sed addentibus ipsismet testibus verbum: *& post triduum readificabo illud*, ipsimet accusationis materiam suo testimonio subducunt. Quid enim? si destruat, & melius ædificet, an id grande nefecerat? imo magnum bonum. Sed ne tantillum prudentissimus Dominus dixerat, quod iure dixisse poterat, quid igitur dixerat? Ioan. 2. expressum est genuine quod dixerat, nempe hoc *soluere Templum hoc & in triduo suscitabo illud*: aliud est enim & ædificare, aliud suscitare, & quod dixit, fecit, suscitavit enim templū corporis sui in triduo, in sua gloriosa Resurrectione. Iam videre mendacium ò Principes quomodo verba veritatis mutantur? vt noceant; quomodo verborum sensus torquentur ut confundant. Cur attenditis? cur applauditis? cur non hos falsarios punitis juxta legem vestram, Deut. 19. *Si steterit testis mendax contra hominem accusans eum præuagationis, stabunt ambo quorum causa est ante Dominum in conspectu sacerdotum & iudicum, qui fuerint in diebus illis, cum diligentissimè perscrutantes inuenerint falsum testem dixisse contra fratrem suum mendacium, reddent ei sicut fratri suo facere cogitauit, non misereberis eius, sed animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede reddes.* Sed ò videntes noluitis videre, intelligentes noluitis intelligere vt ansam haberetis Christum morti adiudicandi malitiã non veritate, talibus enim oculis opus est eiusmodi genere perspicillorum. O scelus! ò iniquitas! scire bonum & malum velle, nosce veritatem & assumere Mendacium, si verum est quod dicit spiritus S. proverb. 21. *Testis mendax peribit;*